

bus hic error primum excogitatus est, faciunt mentionem. Ac fieri potest, ut interpolato tantum nomine Angelici, Simonianorū hæresin renouari ut, in hoc præsertim capite quod est de Angelorum cultu. Seleucianorum etiam postea meminit Augustinus, qui in hunc ipsum errorem videntur incidisse, vel certè patrem: quanquam tamen nec Archonticos, nec Seleucianos legimus Angelos adorasse, aut vnquam coluisse, sed tantum de eorum potestate & operibus multa præter mentem Scripturæ blatterasse. Angelicos tamen commemorat in catalogo hæreseōn Isidorus, & Can. Quidam autem. 24. quæst. 3. Ex quo Isidori loco colligi facile mihi videtur posse, quo demum tempore hæc hæresis extiterit. Collocat enim post Melchisedechianam, ut circa annum à Christo passo 180. exorti fuerint: sed eodem penè momento evanuerint, atque (quemadmodum Epiphanius scribit) perierint. Quanquam autem non est latissime propagatum hoc virus, tenacissime tamen in hominum animis semel sparsum inhæsit, adeò ut Papistæ etiam hodie hunc errorem retineant, & colant Angelos. Esse verò antiquissimum, & iam inde ab Apostolorum, & Apostolicorū virorum ætate repetitum, ex eo appareat, quod Paulus in epist. ad Coloss. 2. v. 18. θρησκείας Αἴγαλων. i. cultus Angelorum iā meminit, quē damnat & reiicit. Quæ sententia ex Platonicae sectæ, & philosophiæ fontibus hausta, primum à Simonianis in Ecclesiā inuecta est, sed ab Apostolis explosa, demum horum Angelicorum industria recruduit, ut ad Simonem Magum quam ad proprium autorem & parentem reuocari debeat. Hanc autem hæresin maximè in Pisidia &

p. iii.